

MELETEMATA QUAEDAM
DE LECTIS

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENTIENTE AMPLISSIMO MEDICORUM
ORDINE

IN

UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM
DORPATENSI

PRO GRADU

DOCTORIS MEDICINAE

LEGITIME OBTINENDO


DIE XIX. MENS. MAJI MDCCCXXII

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

FRIDERICUS GUILIELMUS HAHN

LIVONUS.



DORPATI LIVONORUM
EX OFFICINA ACADEMICA J. C. SCHÜNMANNI

MDCCCXXII.

In p r i m a t u r,

conditione tamen, ut, simulac typis excusa fuerit dissertatio, septem exemplaria collegio, cui librorum censura mandata est, tradantur.

Dorpati Livonor. d. xxiv. Mens. April.

MDCCCXXII.

Dr. Ludovicus Emil. Cichorius.

h. t. Decanus.

D 16781

Ἐστὶν ὑγιεινὴ πραγματεία ὡςπερ ἡ
θεραπευτικὴ.

Galen. Sanit. Tuend. 1.

P r o o e m i u m.

Vires vigiliis, corporis agitationibus animique contentione fractae, non nisi somno instaurantur, licet instaurandi rationem non satis intelligamus. Sola nimirum quies viribus reficiendis non sufficit, haec enim, quae ejus natura est, nihil aliud efficit, nisi ut defatigatio quodammodo mitigetur neque amplius augeatur. Alimenta, quanquam interdum sumta et plerumque concocta, somni beneficio, melius saltem efficaciusque corpus alunt. Itaque somnus est status corporis, nobis ex parte occultus et abditus, idemque cum nullus ejus vicarius exstet, prorsus necessarius. Cum igitur per certum tempus homo vigilavit, op-

primitur lassitudine h. e. omnes motus voluntarii difficulter peraguntur, omnes sensus hebescent, mens ipsa quasi obnubilatur, externa et adventitia parum accurate sensibus percipiuntur, musculorum contractiones difficillime reguntur, oscitandi necessitas oritur 1). Per hunc statum voluntas adhuc quandam somni paulisper arcendi facultatem retinet, quae nisi servatur, aut tempore praeterlapso alius sensus post alium exstinguitur, vel, ut ita dicam, sopitur; imperio animi in motus musculorum sensim sensimque conquiescente, musculo levatore palpebrae superiores ab orbiculari palpebrarum victo, oculi clauduntur, et visus, omnium sensuum primus, obdormiscit, odoratus post gustum, auditus post odoratum, tactus post auditum sopitur, res externae, sensibus paulo ante perceptae, per pauca adhuc momenta menti obversantur, tum nihil amplius sentitur et homo dormit 2). Durante somno omnes partes sensim sensimque irritabilitatem sibi propriam recupe-

1) Haller Element. Physiolog. Tom. V. p. 594.

2) C. F. Heusinger Commentatio semiologica de variis somni vigiliarumque conditionibus. Isenac. 1820. p. 8.

rant, qua penitus restituta leni tantum stimulo opus est, ut homo expergiscatur.

Quamdiu homini sano et integro dormiendum sit, cum a cujusque aetate, consuetudine, corporisque constitutione hoc pendeat, universe praecipere non potest. Infantes, senes, infirma valetudine laborantes, atque eos, qui per totam diem multum laboris sustinuerunt, diutius saepiusque, quam adultos homines, bene valentes, nec vires ultra modum intendentes, dormiant necesse est. Plerumque sex vel octo horas dormivisse sano sufficit; pueri, senes, infirmi aliquot horis diutius dormiant.

Tempus somno maxime idoneum, sine dubio nox est, ubi corpus diurnis laboribus defatigatum, tranquillitas et tenebrae ad quietem vocant, atque totius propemodum naturae exempla, noctem ad quietem esse destinata, evidenter probant. Ceterum quodque aliud tempus somno idoneum est, siquidem corpus, vehementi virium contentione fractum atque languore confectum, ejus indiget.

Optima corporis ad dormiendum positio ea est, qua omnes musculi, quantum fieri potest, maxime relaxati sunt, omnesque corporis partes nec an-

gustantur nec premuntur, quod quo melius assequamur, lectis utimur.

Sectio prima.

De lectis sanorum.

A. De lectis recens natorum.

§. 1.

Praecipue somnus primae illi teneraeque aetati necessarius est, qua puer in lucem editus, celerius adolescit atque corpus et singulae ejus partes magis magisque ad justam maturitatem perveniunt. Exploratum enim omnibus esse opinor, fetum a primo ortu et primis diebus celerius crescere, quam cum magis adolevit et maturuit; puer etiam exclusus primis mensibus magis crescit, quam omni insequente aetate. Sed fetus vitam dormientis vivunt 3), et in-

3) G. Gottl. Richter, Opuscula medica, Vol. I. Francof. et Lips. 1780. p. 232. — Petri Camperi, Dissertationes decem. Vol. II. Ling. 1800. p. 139.

fantes etiam somnus paene perpetuus ita tenet, ut, dummodo bene valeant, dormiendo dies noctesque transigant. Quodsi his somnus eripitur, tenerum corpus nec alitur, nec crescit, sed macie extabescit, imo tandem toto habitu debilitato frangitur atque consumitur 4). Hanc igitur ob causam homines variis adjumentis utebantur, quibus somnum exoptatum arcesserent; ut jam nihil dicam de medicamentis soporiferis, de Electuario Mithridatio, Theriaca, Discordio, Philonio Romano interne adhibitis, nec de decocto capitum papaveris somniferi, vino, quem dicunt, adusto et aliis, quibus lavari solebant recens nati, nihil de aliis quae somnum afferre possunt, de leni frictione et titillatione, quae licet a nutricibus et curatricibus parvulorum ut innoxiae adhibeantur, tamen quia verendum, ne praemature sexus instinctus excitetur, quam maxime rejiciendae sunt; nihil denique de blandis susurris aures obtundentibus et symphonia eas permulcentibus, — alia quidem est ratio, qua somnus infantibus arcessatur, cubilis convenienter constituti usus.

4) E. A. Struve neues Handbuch der Kinderkrankheiten, besonders zum Gebrauch für Eltern und Erziehete. 1797. S. 27.

§. 2.

Recens natos bene lautos abstersosque, peculiari cubili a matre remotos committere solent. Cel. Hufeland acriter hunc vulgarem modum vituperat 5), et aliqua saltem ex parte ejus sententiam comprobamus, puerum ex mitissima temperatura in lucem prodire memores. Si aquarum incolae, importunam aequorum procellam vitantes, quietis rivis, tranquillisque ripis partus suos committunt, solisque maturantem calorem consequuntur, ut tenerae prolis parcatur structurae, hominis contra, sine ulla hujusmodi praeparatione in lucem editi organismo certamen subeundum est cum rerum externarum in ipsum agentium momentis; fetus in balneo tepido formatus usque ad decimum mensem in eodem permanet, in lucem vero editus atmosphaerâ multo frigidiori circumdatur, quae magnam in eum vim habet, maximumque in ejus corpore motus ciet 6). His scilicet, uti videtur, argumentis adductus cel. Hufeland eos vituperat, qui a matris calida atmosphaera ejusque

5) Christoph Wilhelm Hufeland über die wesentlichen Vorzüge der Inoculation. Leipzig, 1792. S. 216.

6) Joh. Pet. Frank, System einer vollständigen medicinischen Polizei. Mannheim, 1780. 2ter Bd. S. 163.

halitu vitali amovere festinant partus, contra quam sancta inviolabilique naturae lex praecipit, ut quae gradatim hanc separationem fieri jubeat, cum maternum calorem ejusque halitum, quo nihil recens nato animantius, roborantius et salubrius contingere potest, nihil supplere possit 7). Verum est, fateor, fetum calorem suum, organismo materno ipsum amplectenti debere, at simulac partus in lucem editus in animantium, quae per se ipsa constant, numero locoque esse coepit, etiam propria incipit calorificatio, atque ad conservandam, dummodo ipsi innata fuerit, parvuli valetudinem non opus est instituto, quo calor ipsi impertiatur, sed potius quo arceatur. Sed vel nulla hujus rei habita ratione, exempla, quae experientia suppeditat, satis pervulgata, contra hunc morem nobis argumento sunt. Matres, post partus labores toleratos, fatigatas facile arctissimus somnus opprimit, quo facto recens natos haud raro ipsarum corporis mole vel lodice suffocatos esse, accepimus, et obstupimus legentes, in Suecia, teste Schulzic, sexcentos et quinquaginta infantes singulis annis inter se collatis, hoc modo suffocari, et his quidem fune-

7) Hufeland l. c.

stis casibus, qui publice non referuntur, praetermissis 8). Vel ex his necessitas singularis propriè infantum lecti patet. At forsàn est, qui mihi objiciat, hoc modo nondum suffocationis periculum effugisse parvulos, ut quos noctu matres nutricesve, mammae praebiturae, in suos ipsarum lectos recipere soleant. Sed effugere periculum licebit, si *Arcuccio*, quod hac de causâ a magistratu Florentino injunctum sensim in consuetudinem venit 9), vel, quas eundem in finem *cel. Rosen* a *Rosenstein* commendavit, *cunis* 10), vel *corbulâ infantum* a *cel. Faust* 11) celebratâ, uti velimus.

§. 3.

Cubile infantum inde ab antiquissimis temporibus usu receptum, cunae erant. Nostra quidem aetate altercatio de iis inter plures auctores exorta

8) *Intrades tal om Bums Skötsel i gemen etc.* of *David Schultz*. 1760, in: *Rudolph Augustin Vogel's* neuer medicinischen Bibliothek. V. Bd. 3. St. S. 31.

9) *Deronomische Encyklopädie* von *D. J. Krüniz*. II. Thl. S. 386. XI. Thl. S. 338. — *J. P. Frank* l. l. p. 209.

10) *Göttingische Unterhaltungen vom Jahr 1769.* Stück 101.

11) *Journal des Luxus und der Moden, von Berntuch und Kraus.* XIII. Bd. 1798. S. 376.

est. Sunt enim, qui illas plane rejiciant, multaque mala, quibus parvuli vexentur, inde derivent, ut *g. g. Rosen* 12), *Leroy* 13), alii, hanc agitationem et quasationem tenerae organisationi cerebri noxias esse, aequabilem progressum naturalium in corpore motuum turbari, vomitum biliosum excitari, lac in ventriculo coagulari, vertiginem, stuporem, commotionesque cerebri non adduci non posse rati. Si quis, temere conceptae opinionis immunis, cunarum formam et rationem examinaverit, damna memorata non nisi vehementiori cunarum motu inferri sine negotio intelliget, id, quod quidem jam *cel. Platner* his verbis significasse videtur, qui „si cunae, inquit, non blando, sed concitatiore motu agitantur, vel si remora quaedam cunarum fulcimentis subjecta est, quae motum impeditum et asperiores reddere potest, semper metus est, ne, dum cunae quatiantur, etiam violentur tenella cerebri ac nervorum stamina et

12) *Nil's Rosen von Rosenstein Anweisung zur Kenntniß und Cur der Kinderkrankheiten.* A. d. Schmeidischen m. Anm. v. *J. Andr. Murray.* Götting. 1785. S. 23.

13) *Alphonse Leroy's Heilkunde für Mütter.* A. d. Französ. m. Anm. v. *Chr. W. Fischer.* Hildburgsh. 1805. S. 184.

exilissima receptacula, quibus sanguis aliique humores in capite continentur, Summa enim illarum partium teneritudo illud sine dubio efficit, ut pueros primis mensibus frequentius comitialis morbus, nervorumque distensio occupet, id quod omnes incedentes norunt. Neque a vero alienum esse videtur, hos vehementiores concussus non solum diros hos morbos facere, sed etiam puerorum ingenia hebetiora reddere posse." 14)

§. 4.

At nec vomitus biliosus movetur, nec lac hac agitatione in ventriculo coagulatur, nisi statim post cillum sumtum concitatiore motu agitentur cunae. Vertiginem vero nullo modo leni cunarum motu excitari, satis cel. Jahn probavit 15). Ne iisdem, quibus in adulto, motibus etiam in recens nato vertiginem produci credas. Vertigo ut oriatur, necesse est, ordinem cogitationum mutuo se subsequendum, nimis accelerari ideoque turbari 16). Recens autem natos nullas

14) Joh. Zachariae Platneri Opusculorum. Tom. II. Lips. 1749. p. 145.

15) Jahn, neues System der Kinderkrankheiten. Rudolst. 1817. p. 240.

16) Marcus Herz, Versuch über den Schwindel.

omnino cogitationes concipere posse, nemo, opinor, negabit; nati primo stupent et vix quicquam audire aut cernere videntur, ita ut his sensibus uti parvulos a quibusdam omnino negetur 17), neque vero adsunt motus voluntarii, nec sui conscientia; quae cum ita sint, quomodo vertigo leni cunarum motu oriri poterit? Non nisi paulatim animi cogitationes se prodere incipiunt, nam quadraginta fere diebus praeterlapsis, primum solent parvuli aut ridere, aut lacrimari, quod quidem ut efficiatur, animi actione opus est 18). A primis ergo vitae diebus, parvulus cunarum agitationi adfuefactus, nullâ vertigine afficietur, etiamsi animi actiones sui que conscientia ulterius processerint. — Quum vero his, quae modo protulimus, lenibus cunarum motibus, nulla nasci incommoda satis probasse videamur, nostrum est, quae hac agitatione afferantur commoda examinare.

§. 5.

Plinio teste 19), Asclepiades Prusensis lectis pen-

Berlin 1791. p. 173. — Hufeland, Journal der praktischen Arzneikunde und Wundarzneikunde. Jena 1797. III. Bd. 3. Stück.

17) Haller l. l. 1. 30. s. 1. §. 10.

18) Buffon oeuvres compl. T. 4. p. 183.

19) Hist. nat. Lib. 26. v. 3.

silibus jam usus est in morbis curandis, utpote quos et Theodorus Priscianus commendabat 20) phreniticis illa lecti commotione somnum conciliaturus, neque minus Aretaeus, Aegineta, Aetius, Celsus paralyticis commendabant lectos pensiles 21), ut, dum aegri ipsi se movere nullo modo possent, aliquis tamen motus passivus iis praebetur. Jam ex his satis justeque perpensis, lectum, quo motio passiva recens nato parari possit, huic aetati esse accommodatissimam con- jicere liceat, sive cunae simplices adhibeantur, sive Asiaticae (pensiles). Num, quaeso, alia exstat via, qua melius perfectusque parvuli quieti tradantur, praesertim cum ad oscillationis in brachiis maternis peractae similitudinem, cunarum motus quam proxime accedat, atque parvulis, quippe qui jam utero concepti, matris motuum participes, iisdem assuefiant, nihil, ut inter omnes constat, motione salubrius con- tingere possit; *δηλώσης αὐτῆς δὲ τῆς φύσεως, ὅτι πρὸς μουσικὴν καὶ γυμναστικὴν, οἰκείως διακίονται*, inquit Galenus 22); et Camper: „placent mihi cunae,

20) Dan. Wilh. Trilleri Clinotechnia Medica Antiquaria. Francof. et Lips. 1774. p. 36.

21) Triller. l. l. p. 40.

22) Γάλληγου ὕγεινων Λογος. ὡς p. 4, Ed. Venet.

inquit, quoniam et corpori modicam agitationem et animo quietem conciliant“ 23). Certe nil aliud nisi abusus cunarum supra memoratus, multos adegit au- ctiores, ut illas plane rejicerent. Attamen tantum ab- est, ut prorsus necessarias eas arbitremur, ut potius istis, qui memorata incommoda e cunarum usu (vel potius abusu) deducant, ut fixum lectum parvulis suis praebeant, suadeamus, dumne credant, cum pueros curricula vehunt, vel lectis, quibus rotae suppositae sunt, vel corbiculis vel brachiis gestantes oscillant, ejusmodi motus salubriores esse, quam cunarum. 25)

§. 6.

Unum est, maximeque ponderis, momentum, sem- per diligentissime in parandis puerorum lectis spectan-

23) Camper. l. l. Vol. 1. p. 19.

24) Adolph Henke Taschenbuch für Mütter über die physische Erziehung der Kinder in den ersten Lebens- jahren. Grff. a. M. 1810. 2. Bd. S. 246. — Hecker, die Kunst, unsere Kinder zu gesunden Staatsbürgern zu erziehen und ihre Krankheiten zu heilen. Erfurt 1805. S. 190. — Struve l. l. S. 27. — E. W. Fleisch Hand- buch über die Krankheiten der Kinder und über die me- dicinisch-physische Erziehung derselben. Leipz. 1805. S. 182. — Christoph Girtanner Abhandlung über die Krankheiten der Kinder und über die physische Erzie- hung derselben. Berl. 1794. S. 71.

dum, munditiem dico, cui quidem nihil majori est impedimento, quam culcitae plumeae, in quas parvuli immerguntur; inde enim corpora calescunt, perpetua ad sudores propensio gignitur, emollitur et relaxatur cutis, atque locus datur morbis e refrigerio oriundis; quae exhalat corpus retinet culcitae plumeae et parvulus, qui maximam primae aetatis partem in lecto transigit, vaporum balneo circumdatur, unde haud raro maxima nascuntur incommoda, ideoque culcitae plumeae nihil aliud nisi insaluberrimorum atque teterimorum exhalationum receptacula sunt, id quod ne maxima quidem cura potest prohiberi.

§. 7.

Sed de alio praeterea malo, quod culcitarum plumearum usu nascitur, dicendum est; quanquam libenter concedamus, non semper et ubique, malum, de quo nunc dicitur, tali lecto proferri, nec semper lectum pro unica ejusdem habendum esse causa, nihilominus exploratissimum est, hoc minime esse negligendum. Nimirum cum tanta sit culcitarum plumearum mollities, facillime depressiones et foveae inprimuntur. Spina igitur vertebralis, sive supinus, sive in laeus cubet parvulus, semper incurvatur et obliqua-

tur, unde si quotidie idem cubandi modus tenetur, facile deformitas oriri potest; adeo enim flexilis infantum mollities est, tam imbecilla ligamenta, tam mollis ossium in appendicibus suis commissura, ut vel levissimo momento ipsa solidior partium compages afficiatur. 25)

§. 8.

Lectus igitur parvulis accommodatissimus is erit, quo memorata incommoda quam fieri potest optime avertantur; idcirco acere, musco, setis equinis, cornu raso, et quae sunt generis ejusdem, utamur, quippe quae neque exhalata retineant, nec tanti constant, quin saepius renovari possint, neque corporis formam corrumpant. Lanae sit lodix, vel xyliana, pro anni temporibus.

§. 9.

Ad locum quod attinet, in quo ponatur cubile infantum, nunquam ita collocetur, ut oculi parvulorum pleniori et clariori lumini obvertantur, praesertim cum oculorum motus per se vagus et instabilis, inde facile limis spectandi consuetudinem capiat.

25) G. G. Richter Opusc. med. T. 1. p. 217.

Bene igitur Pareus 26) capiti in cunis jacentis praetendi vult vimineum arcum pannis obvelatum, qui vagos oculorum motus contineat, dirigatque. Ut aequabiliter moveantur oculorum muscoli, Hieron. Capivaccius optime ab infantibus illud vitium arceri putat, lucernâ e regione oculorum, non a latere, positâ. M. A. Andriollus, si sint strabones oculi dextri, lumen a sinistrâ collocari jubet, et contra si sinistri, oculis in statum naturalem tandem redactis, Capivaccii rationem sequitur 27).

B. De lectis adolescentium, adultorum et senum.

§. 10.

Parvulus cum adolescit et ad juvenilem aetatem properat, non eadem, quae primâ vitae aetate, lectis plumeis inferuntur incommoda, sed alia potius respicienda sunt, quae ad culcitae plumas rejiciendas pariter nos adducunt. Cum autem consuetudo

26) Les Oeuvres d'Ambroise Paré. Paris 1607. Livr. XXIII, chap. 1. r. 892.

27) G. G. Richter l. I. p. 226.

altera nobis natura fieri soleat, corpus nostrum jam puerili aetate firmasse juvabit; quare non possumus, quin assentiamur Genevensi philosopho hoc modo disputanti: „les gens élevés trop délicatement, ne „trouvent plus le sommeil que sur le duvet, les gens „habitués à dormir sur les planches, le trouvent par „tout!“ et porro: „le lit le plus simple suffit aux „enfants et il ne leur faut pendant ce temps, que „des soins de propreté — c'est à leur age qu'il im- „porte de les accoutumer à être mal couchés; c'est „le moyen qu'ils ne trouvent jamais de mauvais „lits!“ 28) Sed ista licet mittamus, hoc tamen magni interesse videtur, ne calidiori vivendi modo, receptivitatem augeamus, vitae consumptionem acceleremus, fibras relaxemus et debilemus, ad continuos sudores indeque ad refrigeria proclives eos reddamus, atque praecipue ne sexus evolutiones maturemus.

§. 11.

Monendi praeterea pueri adultiores, ne una cum senibus dormiant, qui suavi eorum transpirabili materie refecti, pueris liquidum subtilissimum, planta-

28) Dictionnaire des sciences médicales, T. XXVIII. p. 332.

rum instar parasiticarum, exsorbent, ut vere Huxham 29) aliique observarunt. Boerhaave: certum est, inquit 30), vim sani corporis posse transire in corpus effoetum, nam virgines cum aniculis dormientes liquet consumi, vetulas melius valere. Exemplum puellae nobilis affert Ramazini 30), quae ex contubernio et consuetudine aviae, tabe affecta multis remediis frustra adhibitis, tandem ab avia remota et cum puellarum consortio denuo frueretur, morbo recreata est. Aliud exemplum affert Desessarz, ipsius adeo lateris, quo ad vetulam accumbere solebat puella quaedam, male adfecti. Galenus ipse seni consulturus, puerum accumbere voluit, ut abdomen ejus contereret 31). Atque aliae aliorum exstant observationes, quorum auctoritas hac in re, maximi sane est momenti 32).

29) Huxham Opera physico-medica. Lips. 1764. P. 1. p. 47.

30) De morbis opificum. Lond. 1718.

31) G. M. Gattenhoff Dissertationes Medicae. Heidelb. 1791. Vol I. p. 227.

32) Francisc. Baconis de Verulamio historia Vitae et Mortis. Amstelloed. 1683. p. 161. — Gerardi van Swieten Commentaria in Herm. Boerhaave aphorismos. Lugd. Batav. 1766. T. I. p. 30.

§. 12.

Commoditatis ratio postulat, ut sponda ligno leviori fabrefacta sit, quo facilius transportetur; praeterea humilis esto, quo commodius in lectum te et recipere et inde descendere possis; porro satis ampla et lata esto, nec corpore cubantis brevior, vernice obducta, singulae ejus partes bene inter se conjunctae, ne rimae et fissurae existant, quae insectis refugium praebent, unde lecti ferrei prae ceteris commendantur, stragula aequaliter strata sunt et ubi fieri potuerit, e setis equinis confecta, duo integantur lintea, inter quae cubes et quae facile saepius renovari et lavari possint, lodix sit anni tempore congrua, vel lintea, vel lanea, vel erioxylo farta 33).

§. 13.

Quod ad cervical adinet, ipsius altitudo vix definiri potest. Sani, in qualicumque situ eligendo sui ipsorum tantum commodi vel incommodi rationem qui sequuntur, ad praescriptas leges aegre se accommodabunt, quod fieri plerumque solet, si res omnis

33) Handbuch der Diätetik, von Feiler. Landsh. 1821. S. 242.

e cujusque arbitrio pendet. Ex theoriae quidem praeceptis, nimis humile cervical, cum reliquo corpore aut fere, aut omnino aequale, non convenit. Nam quemadmodum in erecto vigilantium statu, sanguis et ponderis sui nisu ex superioribus locis ad cor promptissime remeat, ex inferioribus autem majori impulsu, et musculis simul agentibus, valvularumque, quae nisum ponderis retro urgentis sustinent, vi indiget, adeoque ad eundem motus sui terminum aegrius eluctatur 34), ita in consueto dormientium situ contraria motus ratio obtinet, unde humores diutius circa caput, minus, quam ante, circa pedes, morantur. Sanguis, capite depresso, tardius ad cor recurrit, obruitur premiturque cerebrum, et hinc mane expergefacti de torpore somnolento, gravedine capitis, tinnitu aurium, et tumore faciei saepe conqueruntur, ne dicam de ipsis inter dormiendum turbidis et molestis insomniis. Haec quidem mala evanescere paulatim videntur, alia cubandi ratione observata, attamen crebro eadem in epilepsiam, apoplexiam et paralyisim apud eos degenerare affirmat

34) De his conf. Friedrich Parrot, Ansichten über die allgemeine Krankheitslehre. Mitau 1820. p. 46 et 47.

eel. G. G. Richter 35), qui ad capitis et nervorum morbos, vertiginem, spasmos et mala hisce similia, sint procliviores. Neutiquam vero situs nimis erectus quasi sedentis in lecto, probandus, quippe qui propter tensionem musculorum, qui ipsi quietis indigentes, corpus fulcire pergunt, arctiorem somnum non admittat.

Sed non est, quod praeceptis, de lectis sanorum struendis, diutius immorer. Namque provectori aetate, consuetudinis vi, vel noxia innoxia redduntur; prava vero consuetudo, imprimis inveterata, non subito, sed sensim, in debilibus autem et senibus nec subito, nec sensim abroganda est. Praestat enim vitam inter incommoda, per ipsum usum minus molesta reddita, producere, quam nova consuetudine adoptata, quae vires adhuc integras necdum languentes, dissolvat et opprimat periculis se offerre. Recte igitur Hippocrates: „Ἐπεὶ καὶ κοίτη ἢ παρά τὸ ἔθος μαλθακὴ, πόνον ἐμποίει, καὶ σκληρὴ παρά τὸ ἔθος, καὶ ὑπαισθητὸς εὐνή παρά τὸ ἔθος σκληρύνει τὸ σῶμα.“ 36). A tenerimâ aetate in plumeis culci-

35) Opusc. medic. Vol. III. p. 261.

36) Opera omnia quae exst. Ed. Foësius. Genév. 1657, in: Περὶ διαγωγῆς τῆς οἴσου. p. 391.

tis dormire solitus, nec ipse talia strata cum durioribus facile commutabit, neque iis incommodis obnoxius erit, quibus qui primum culcitis plumeis utitur, affici solet; neque senex, nisi a teneris, ut ita dicam, unguiculis, in duro cubare lecto solitus fuerit, ad hujusmodi cubile sibi parandum pronus erit, ut cujus rigidi artus, molle requirant cubile, quo calefiant. Hunc igitur, ut plumeis utatur culcitis, auctores sumus ac suasores.

§. 14.

Priusquam de aegrotorum lectis disseramus, de aliâ, eâque maximi momenti cautione, dicendum: humido ne unquam utaris lecto, quippe qui transpirationem reprimat, calorem infringat, solida relaxet, morbosque e laesâ functione cutis ortos, afferat. Humescunt autem lecti, nisi quotidianus illius sit usus, maxime vero in domo humidâ, vel in conclavibus, quae fornace carent, servati; atque inter omnes constat, apud nostrates saepissime ejusmodi humidos lectos reperiri, licet omnia fere conclavia fornacibus instructa sint. Nimirum apud plerosque, praesertim eos, qui ruri habitant, invaluit usus cubiculum hospitale, tum demum calefaciendi, cum

hospites advenerint, quo fit, ut lecti, praesertim e plumeis culcitis confecti, humescant. Haud rarius in tabernis deversoriiis idem accidit peregrinantibus, praecipue in iis, quae rarius ab iter facientibus frequentantur. Quae ut evitentur incommoda, stramina, pulvinaria, culcitrae, lodices, lintea, quae non quotidiano usui inserviant, siccis serventur locis, quare tempore hiemali cubilia dormitoria necesse est saepius calefieri, aestate vero, quotidie fenestris apertis aëris flatui exponi, et stramina, pulvinaria et culcitas, crebro, sereno coelo sub divo poni et pulsanando purgari. His praemissis praeterea nil est, quod addamus, nisi quod linteis recens lautis necdum satis exsiccatis, sit abstinendum 36).

Sectio secunda.

De aegrotorum lectis.

§. 15.

Lectus aegrotorum fere unicum est refugium,

36) Guill. Buchan, *Medecine Domestique*, trad. de l'Anglois, p. J. D. Duplanil. Paris 1788. T. I. p. 344.

quo nihil ipsis accomodatius, nihil magis necessarium est, cum non raro remedii instar sit, et efficacia remediorum, quae aegro praebentur, saepe a lecti beneficio pendeat: remediorum diaphoreticorum e.g. efficacia calore lecti augetur, drasticonum contra minuitur; magnam phlebotomiâ sanguinis copiam adempturi, lecto jacenti venam secamus; clyster non nisi cubanti recte applicari potest; herniarum repositio, brachiorumque applicatio non nisi jacente aegrotto recte peragitur, et quae sunt hujus generis alia. Cave existimes, in curandis hominum morbis sufficere, medicamenta, vel praestantissima praescripsisse et applicasse; providus medicus, quo quaeque modo se habeant, accurate spectabit et considerabit, rerum externarum rationibus diligenter circumspexit, omnibus ac singulis examinatis, nihil admissurus, quod aegris ullo modo nocere possit. Et quisque lubens fatebitur, non semper ex materiâ medicâ et per pharmara medicinam esse quaerendam. — Multis aegrotis, praecipue qui morbo lento ac diuturno affecti sunt, saepe in lectis, tanquam in carcere invisio et horrido, nolentibus ac invitis commorandum est, tunc diligenter inprimis providendum, ut ceteris remediis salvis, lectus ipsi morbo praesenti aptus sit et aco-

modatus, quo ejus impetus inde minuantur potius, quam augeantur, et mitigentur magis, quam ingravescant. Neque vero omnia omnibus, sed alia aliis prosunt, pro cujusque tum peculiari natura, corporis constitutione et consuetudine, tum peculiari ipsius morbi causa et indole. Peritus ergo et humanus medicus, semper aegrotorum lectos apte et commode instruendos curabit, ut ne molesti ac noxii sint aegris, atque ne duplici quasi caedantur flagello, ipso nimirum morbo et praeterea superinjectis nimis stragulis, pulvinis et culcitis plumâ inprimis large congestâ gravidis. — Jam quidem nostrum esset, qualis aegrotantium lectus commendabilis nobis videatur, quaenam strata, quae lodices et operimenta adhibenda sint, exponere, nisi, ut jam supra monuimus, non omnia omnibus, sed alia aliis convenirent, atque, ut in ceteris, ita et in lecto sternendo, quibus sanus assuevit, eadem in aegrotto respicienda essent, id quod in acutis, omnibusque morbis mentis alienatione conspicuus maximi ponderis est, cum in his consuetudine, ut remedio psychico, utendum sit. Patet igitur, quemadmodum nullum exstat medicamentum universale, quo omnibus morbis mederi possimus, ita neque universale aegrotantium cubile posse praescribi,

§. 16.

Quo sani utimur, lecto, in eodem cubare solemus aegroti. Lecti nobiliorum fere semper plumeis culcitis sternuntur, pauperum vero sacci stramento referti sunt. Quae ex *illis* nascantur incommoda, jam supra passim indicavimus, sed neque *hi* incommodorum utique sunt immunia. Praebeas pauperi salubre cubile, praebeas victum idoneum: multi profecto, qui morbo succumbunt, absque alio medicamento beneficio convalescerent. Nihilominus sacci straminei, nisi maximâ premuntur inopiâ aegroti, saepe culcitis plumeis praeferendi sunt, ut quae nunquam fere aequabile praebeant cubile, etiamsi maximâ curâ stratae fuerint; lenissimo quoque aegroti motu plumae loco moventur et premuntur, praecipue si non quietum in lecto se tenet, quo fit, ut lectus, quantâcunque curâ paratus, tamen mox obdurescat et aeger jure de eo queratur. Denique hi lecti corpus calefaciunt, adeoque dynamicum morbi characterem vel augent, vel plane permutare possunt, quare multa nova symptomata ex hoc nimio lecti calore oriri patet. Qui vero, dum bene valeret, in plumeis lectis dormiebat, iisdem aegrotus utatur, ea tamen lege, ut non mollior sit lectus, sed potius du-

rioribus pulvinis stratus, quibus linteum et aluta, quâ decubitus vitemus, superintegatur. Nec lodix gravior esto, sed aegroti usui commoda.

§. 17.

Lectus aegrotantis (ita esto collocatus, ut undique ad aegrum pateat accessus, quare etiam alcovae, quas dicunt, quam minime sunt commendabiles, utpote quae praeterea aërem coarctent et infestent. Praeterea lectus ita collocatur, ut nec parieti humido et frigido, nec fornaci calido justo propior sit, neque aëris perflatui expositus, neque ita constitutus, ut aegrorum facies lumini et fornacis igni sit obversa, ut quo non quies solum turbetur, sed etiam oculorum affectiones inferri potuerint.

§. 18.

Ad vela lectorum quod attinet, summa cautio est adhibenda. Intenduntur autem vela, tum ad quietem conciliandam, tum ad perflatum aëris arcendum, tum in vastioribus oecis, ubi plures aegroti jacent, ut mala, quae patitur vicinus alter, alterum celerentur. At haec non unica ad quietem conciliandam via; perflatum aëris melius arcebis velis ante fores

propansis, vel plicatilibus parietibus lecto praemunito. quo vicinus quae patitur simul occultare licebit. Vela lectorum et conopea vel eo rejicienda sunt, quod non solum pulverem et insecta recipiant, sed etiam aërem coarctent, aegrotumque angant. Maxime reprobanda sunt picta vela, coloribusque fulgidis distincta, quibus aegroti delirantes, dementesque ad summum furorem perduci possunt 37).

§. 19.

Ante omnia id agendum est, ut lectus planus sit et aequus, eo quod linteorum plicae, vel stratorum, vel fundi spondae iniquitas, quibus aliquâ ex parte premittitur aegrotus, molestissima ipsi sint; neque ignorat quisquam, ejusdem particularem pressionem multo minus ferendam esse, quam quae totam superficiem corporis aequaliter afficiat, nec quisquam negabit, hac ipsâ pressione, decubitus oriri posse. Dum cubamus, totum corporis pondus, paucis tan-

37) John Howard's Esq. Nachrichten von den vorzüglichsten Krankenhäusern und Weshäusern in Europa. Leipz. 1791. S. 459. — Pfähler Unterricht für Personen, welche Kranke warten. Riga 1793 S. 81. — Franz May Unterricht für Krankenwärter. Mannh. 1748. S. 68. — Hufeland's Journal. Bd. 23. S. 147.

tum locis sustinetur, unde compressis vasis et nervis, levis dolor oritur, qui mutato corporis situ statim evanescit. Hinc homines, vel optime valentes, dum dormiunt, corporis situm subinde mutant, quo quidem modo id incommodi facile praecavent. Ubi vero morbi conditione adacti immobiles jacere coguntur aegroti, totum corporis pondus partes, quibus aegri incumbunt, premit, quo vasa per has partes decurrentia coarctantur atque adeo saepe comprimuntur, omni vitali influxu sublato, unde gangraena et sphacelus nascuntur 38'. Inprimis autem haec mala oriuntur illis in locis, ubi ossa paucis integumentis tecta prominent, ut circa scapulas, os sacrum, os coccygis, calcem etc., omnium frequentissime circa os coccygis, quia, dum homo supinus jacet, lectus semper in medio deprimitur, superior autem et inferior ejus pars assurgit, unde totum corporis pondus soli fere coccygis ossi innititur, paucissimâ tecto pinguedine. At non pressionem soli, sed etiam calori sudorisque decubitus causa adtribuenda est. Nemo enim ignorat, vas, aquâ frigidâ, vel nive impletum, ad

38) Van Swieten Commentaria in Herm. Boerhaave Aphorismos. Lugd. Batav. 1766. Tom. I. p. 742.

decubitus prohibendum, sub aegroti lecto poni. Quoniam igitur calor lecti hoc incommodum auget, plumei maxime rejiciendi sunt, non solum in acutis morbis, in quibus saepe *ἀνασθησις* illa oritur, quâ levem dolorem et molestiam in partibus decubitu compressis, minus sentiunt aegroti et simul fractis viribus dorso incumbere solent, sed etiam in iis affectionibus, in quibus aegroti per longum tempus eodem situ jacere debent, ut e. g. in fracturis extremitatum inferiorum. — Itaque etiam atque etiam medicis injungendum est, ut semper de gangraenâ e decubitu nasciturâ cogitent, ubi in morbis acutis hebetes et semisopitos quasi aegros vident.

§. 20.

Saltem semel quotidie, si morbi conditio permiserit, lectus denuo sternitur; nam temeraria et pernicioza est opinio eorum, qui lectos aegrotorum, morbi gravi laborantium, non renovandos esse existiment, propter damna scilicet quae aegrotis si extra lectum paulisper commoretur, afferantur. Clarissimorum virorum auctoritas nobis documento est, ne utiquam semper et perpetuo aegrotos in lecto esse retinendos. Infirmissimi aegri in lecto quotidie erigan-

tur; ut, pulvinaribus dorso et capiti substratis, sedent; primo quidem pauca temporis momenta, si diutius sustinere nequeant. Gaudent inde, sensimque eo perveniunt, ut extra lectum, in cathedrâ supinâ paulisper sedere possint. In ipsis acutis morbis necdum summum fastigium assecutis, per aliquot horas, aegri extra lectum in sellis commodis sedeant, corpore probe tecto: quod etiam fieri potest, ubi morbi ratio aut balnea, aut pediluvia poposcerint. Id enim usu se didicisse affirmat Cl. de Haën, aegrotos quo diutius in lectis jacentes retineantur, eo minus ad sedendum aptos reddi; quo crebrius erigantur, eo alacrius surgere 39). Magna profecto pars debilitatis aegrotantium hinc oritur. Nihil e contrario est, quod aegros magis reficiat, nihil, unde majorem laetitudinem percipiant, nihil denique quo reddantur ad somnos procliviores. Nam semper fere lecto reddito, per unam alteramve horam jucundus somnus complectitur, ad quem quidem capessendum lectus interea reparatus haud parum confert, qui aut siccatis, aut mutatis linteis, magna suavitate eos permulcet.

39) Antonii de Haën Ratio Medendi. Vindebon. 1750 Tom. I. p. 30.

§. 21.

Si lectus priusquam aegrotus decumbat, calefaciendus est, vas adhibeatur, non ut fieri solet, carbombus candentibus, atmosphaeram semper corruptentibus, sed aquâ fervidâ impletum.

§. 22.

Modus aegros tegendi suis in lectis pendet tum ab anni tempore, tum ab ipsorum commodo; unica tegendi regula est, ut temperate caleant aegroti. Ita nunquam sudores contra morbi naturam excutuntur. Si in acutis morbis, modico sub tegmine sudores eliciuntur, sive levantes, sive critici, in aegrorum statu nihil est mutandum. Tunc quidem nefas, e lecto eos eximere, ne frigeant; nefas idem, gravioribus eosdem onerare tegumentis, ne intentis nimium corporis viribus, debilitentur. Multo rarius nunc miharia occurrunt, quam illis temporibus, cum aegri in lectis, plumis culcitis nimis impletis, velis densis circumdati, januis fenestrisque diligentissime clausis et velis obductis, juxta fornacem valde calefactam jacentes in atmosphaera pestifera et immundis linteis et pulvinis circumdati, detinerentur 40). Et petechias saepe non tam a morbi ma-

40) Hecker, Kunst die Krankheiten der Menschen zu heilen. Erf. 1813. 2. Th. p. 133.

lignitate, quam perversa (calidiori nimirum) curatione, oriri cel. Sydenham contendit, atque ante omnia, ne in lecto assidue se contineant aegroti, sed maximam cujusque diei partem, extra commorentur, hortatur 41). Ut vero ille omnibus theoriis plane neglectis, experientiâ doctus, ex antiphlogistica methodo, contra methodum excitantem Sylvii asseclarum, prospere hominum tractabat morbos, non est, quod miremur, eum lecti calorem tanti fecisse, ut in multis morbis indicet, utrum in lecto continendi sint aegroti, nec ne. „In variolis confluentibus, ad promovendam faciei et manuum intumescentiam (sine quâ de aegro actum fuerit) et pustularum elevationem atque augmentum, expedit, ut in lecto sese, ipsasque manus suas, contineat, modo stragulis modice tectus sit, et concessa fuerit venia ab hac in illam lecti partem, corpus pro arbitrio suo transferendi; Morbo vero exeunte, cum jam adpetat febris maturatio, non tantum hac libertate prius est aeger, sed monendus etiam, ut eâ utatur, quin et versandus persaepe noctu atque interdiu, ut

41) Sydenham, Opera Medica. Genev. 1757. T. I. p. 101-102.

ingens calor contemperetur“ 42). „Indesinenter lecto affigi, praesertim aestate, in omnibus morbis inflammatoriis, per venae sectionem, et refrigerantibus curandis, nocuum“ 43). „In pleuritide quotidie, pro viribus e lecto eximendus aeger, quod plurimi momenti, quin alias medicamenta vix proficiant“ 44). „Foemina lecto addicenda simulac lochia suppressa“ 45), — et quae sunt reliqua.

§. 23.

Magna ut in sanorum lectis observanda est mundities, ita multo major in aegrotorum 46), nisi forte methodus medendi e. g. in syphili secundum Cl. Louvrierii praecepta sanandâ munditiem vetet. Quare quisque graviter aegrotantium lectus in eo a vulgari differat necesse est, quod in medio strato linteum ceratum extendatur, cui aliud quadruplicatum linteum, quod, cum inquinatum est, facili negotio amoveri et cum alio mutari possit, superintegatur, — Suum cuique proprium aegroti praebendum esse

42) Sydenham l. l. p. 93. — 43) p. 101. — 44) p. 166. — 45) p. 280

46) Joh. G. Reuber, allgemeine pathologische Diät. Schwer. 1790. S. 141.

lectum, non est quod moneamus disertiusve doceamus.

§. 24.

Quodsi aegrotus tandem morbo recreatus est, aut vitâ discessit, ejus cubiculum, lectus, et reliqua supellex probe purgentur, lavando, fumigando, janus et fenestris omnibus aliquamdiu apertis, ut vapores et effluvia, usque eo ex corpore aegrotantis egressa, hic illic haerentia, vel circumvolitantia, foras pellantur, quod quidem in peste, aliisque morbis contagiosis, tanto magis est necessarium, quanto certius est, contagium ad trabes, parietes et universum cubiculum transire, ibique diu haerere 47). — Reliquum est, ut moneamus, nonnullos aegrotos e p. affectibus soporosis, apoplexiâ, lipothymiâ, epilepsiâ, catarrho suffocativo, hystericâ passione affectos, nonnunquam per plures adeo dies tanquam mortuos jacere, atque pro mortuis haberi, ut multae observationes apud medicos scriptores hic illic memoriae proditae, docent; scilicet hoc monuimus, ut ejusmodi aegroti

47) Christ. Mich. Adolphi, Dissertationes physico-medicae. Lips. 1747. p. 734.

aliquamdiu in lecto et cubiculo retineantur, donec certa mortis indicia aparuerint.

§. 25.

In omnibus iis morbis, ubi aegrotus mentis suae non compos jacet, ut in febribus malignis, capitis laesionibus, internis inflammationibus in gangraenam transeuntibus, mechanici lecti commendati sunt. His enim in morbis cum alvus et vesica, invitis saepe aegrotis evacuentur, atque omnis in lecto supellex inquinetur, aegrotum aliquamdiu in suis excrementis cubare oportet, unde non solum facile excoitationes circa anum atque genitalia et inter femora oriuntur, saepe numero in gangraenam transeuntes, sed etiam aër in cubiculo admodum corrumpitur. Iidem commendantur in morbis, ubi quaevis, propria virium contentione facta motio et situs mutatio dolores aegroti commovet, quod fere accidere solet in affectionibus rheumaticis et arthriticis. Ex his patet, duplicem esse ejusmodi lectorum finem, primum ut lecti inquisitionem prohibeant, excrementorum defluxum et supellectilis inquinatae mutationem adjuvent, deinde ut facili negotio et quoad ejus fieri potest, sine doloribus, situs aegroti possit mutari.

Iis descriptionibus, simulacris et exemplaribus lectorum mechanicorum, quibus uti nobis licuit, ut Braunianus, Danjonianis, Wolfsonianis, Stoikelianis, vel alterutrum, vel utrumque finem consequendi consilium erat.

§. 26.

Brauniani lecti partes praecipuae sunt:

a) sponda vulgaris, fundo asseribus compacto, Medius asser perforatus est, ut tubus metallicus inseratur, cujus diametros duorum digitorum spatium aequet.

b) Saccus stramento refertus, uno ferme palmo super laterales spondae asseres eminent, in medio perforatus idem, ita, ut ambo foramina inter se congruant.

c) Lamina rotunda, vel stannea, vel stanno obducta, sat. s crassa. duos pedes lata, a peripheria centrum versus ita decurrens, ut maxima excavatio sesquidigitalis sit. In mediâ laminâ foramen duorum digitorum est, cui tubus metallicus aequè latus, duodigitos longus, perpendicularis immittitur, cum simili tubo, duodecim digitos longo, conjunctus. Lamina in medio sacco collocatur, tubi inter se juncti

per foramen transmittuntur, ita, ut tubus aliquot digitis, subter spondâ emineat.

d) Viginti quatuor vel sex pulvilli cylindriaci. Segmentum panni Canevasii, vel bilicis (Zwillid) tres pedes longum, unum pedem latum, per longum consuitur, et viginti sex vel octo semunciis setarum vel equinarum, vel vaccinarum, vel stramenti minutim concisi, infertis, utrinque taeniâ linteâ contractur. His pulvillis totus lectus e transverso sternitur, ita, ut lecto septem pedes longo viginti uno pulvillis opus sit quam arcissime inter se compingendis. Reliqui tres vel quinque ad commutandum servantur. Lecto matula supponitur, instructa operculo ligneo perforato, cui tubus metallicus inseri possit. Joh. Andr. Schmidt, qui hunc lectum descripsit 48), hujusmodi apparatu id effici putat, ut lectus et aegrotus ipse excrementis non inquinentur, et praecipue ut gangraena ex decubitu oriens, praecaveatur, deinde ut stragula forte inquinata, facili negotio permutari et ablui possint. In omnibus mor-

48) Bemerkungen über die Krankenbetten und Beschreibung eines von Braun neuerfundenen Krankenbettes. Wien 1791.

bis, ubi excrementa sine ullo impedimento sunt amovenda, aliquot cylindri subter anum et genitalia subtrahuntur et excrementa per tubum metallicum in matulam deriventur. — Jam videamus, quid huic rationi opponendum sit. Ex eo, quod pulvilli arcte compinguntur, — atque, ne cubile sit iniquius, ita compingendi sunt, — sequitur: intervallum, quod duobus pulvillis, quorum terni pedem aequant, demittis, ortum est, a reliquis, arcte antea constipatis et rursus se extendentibus occupari, atque ita spatium, ad excrementorum defluxum destinatum, impleri. Quare ut propositum nostrum assequamur, aliquot praeterea cylindri demendi erunt. At, praeterquam quod cubile hoc modo iniquum et asperum redditur, cum cylindri facile loco suo moveantur, alia incommoda, quae inde aegrotis nascuntur, non negligenda sunt. Namque si aegrotus supinus jacens vel lenissime se commoverit, ejus podicem, fulcro suo privatum, desiderare, atque totum corpus, donec pulvillum proxime jacentem, quo innitatur, attingat, deorsum labi oportet, et pulvillos semper denuo excrementis inquinari. Accedit quod ani situ depressiori, vel superior ossis sacri, vel inferior spinae vertebralis

pars magis premitur, quem dolorem aegrotus non diu sine damno tolerare potuerit.

Ex his jam intelligitur, ejusmodi lectum, non accomodatum esse iis aegrotis, qui involuntaria alvi et urinae emissionem laborant. In fracturis autem ossium extremitatum inferiorum, ubi si matula vulgari lecto supponitur, ossium conjunctio vel lenissimum motu facile turbari potest, ejusmodi lectus omnino id commodi affert, ut aegrotus, lamina et tubo nimirum omissis, et aliquot pulvillis demtis, facili negotio, neque se movens, alvum in matulam suppositam, dejicere possit. Sed hunc in finem superfluum est, totum lectum talibus cylindris sterni. Etenim tribus tantummodo vel quatuor cylindricis pulvillis, sub ano collocatis, opus est, et reliqua lecti pars vulgaribus pulvinis sterni poterit, sine ullo aegroti damno.

§. 27.

Lectus, quem Danjon proposuit 49), aegrotis destinatus est, qui fracturis ossium extremitatum infe-

49) Dictionnaire des sciences médicale. T. XXVIII. p. 340.

riorum laborant, et ita quidem comparatus, ut excrementa, situ aegroti non mutato, amoveri possint. Quam ob rem jugum ligneum quadratum (Rahmen), fasciis mollibus intentum, cujus mediâ in parte foramen relinquitur, in vulgari lecto collocatur. Hoc vero jugum, cum alio ferreo, quod quatuor perticis ferreis, sex vel septem pedes altis, sustinetur, ita cohaeret, ut trochleae et rotarum funiculis junctarum ope, sursum deorsum torqueri possit. Aegrotus autem jacet in jugo fasciis intento, atque alvum exoneraturus, sursum torquetur, et foramini matula supponitur. Idem fit, cum cubile reparandum est. Qui lectus licet satis utilis videatur, sumtuosior tamen est, quam qui omnibus aegrotis comparari queat, et verendum, ne perticae ferreae, superius jugum sustententes, quoniam infra non junctae sunt, neque mutuis quasi adminiculis nituntur, vacillent, et aegroti cubile parum firmum et stabile praebent.

§. 28.

Exemplar lecti, in Wolfsonii collectione chirurgicarum fasciarum exhibitum ita comparatum est, ut in sellam mutari possit, ad cujus latus, mensula ad scribendum aliosque usûs aptata est. Matula affabre

collocata est. Supra lectum, pertica longior, duobus fulcris sustentata, atque altero in fine manubrio versatili (Sturzel) instructa, in longitudinem porrigitur. Ad perticam sex vel octo fasciae alligatae sunt, quibus ad pulvinum fibulatis, aegrotus ope manubrii sursum torquetur. — Sed singularum hujus lecti partium structura et compositio propter rotarum, trochlearum similisque suppellectilis mechanicae multitudine, absque simulacro accurate delineato, describi vix potest. Patet igitur, eandem ob causam, usum talis lecti nimis difficilem et impeditum esse, ideoque raro tantum eum adhiberi posse.

§. 29.

Lectus Stoikelianus, cujus exemplar ad fasciarum chirurgicarum collectionem Nosocomii nostri pertinens, mihi haec scribenti ad manus est, cum toro aegrotorum a Pfahlero proposito 50), maximam partem convenit. In utroque scilicet id agitur, ut facili negotio in sellam mutari possint. Pfahlerianus autem lectus ideo praeferendus videtur Stoikeliano, quod in illo asseres laterales sine ullo labore amoveri, at-

50) Pfahler l. l.

que, si res ipsa postulat, admoveri possunt, in hoc vero arcte inserti sunt. Cujusque lecti mechanici primaria profecto virtus haec est, ut non nimis artificiosus sit, et ut a scriniario etiam minus perito, confici possit. Hoc licet re verâ in lecto Pfahleriano sic se habeat, tamen negari non potest, eum, sine utilitatis detrimento, simplicius comparari posse. Fundus, aliis in lectis plerumque unum tantummodo jugum habet fasciis intentum, in hoc tribus jugis mobilibus constat, firmis vinculis inter se colligatis. Id jugum, cui superior corporis pars adhaeretur, cylindri mobilis ope sursum torqueri potest, in situm propemodum perpendicularem, atque eodem modo jugum inferius solum versus demittitur, ita, ut uniusversus lectus, una cum pulvinis et cuculis in sellae formam mutari possit. Ad jugum inferius, scabellum aptatum est, quo aegrotus pedibus nitatur. A latere mensula est, edendo, legendo vel scribendo inseriens, quae duobus fulcris, aut aequali, aut obliqua, pulpiti instar, collocari potest, atque, cum eâ non opus fuerit, in parte lecti inferiore dependet. Hujus quoque lecti usus impeditior redditur cylindris et rotis statoribus (Stellrad, sit venia verbo!). Sed cylindrus in superiore parte lecti, non utique neces-

sarius est, et duobus fulcris, quibus jugum tollatur et demittatur, commode expleri atque jugum inferius aliquot funiculis, ad duos uncas superne aptatis, regi potest. Commoditas usus multum augetur, si pedibus lecti rotulae supponerentur, ita, ut ultro citroque volvi possit, quod, ni fallor, in omnibus aegrotorum lectis, magnae esset utilitati 51).

51. Plurimi lecti mechanici jam ab aliis auctoribus descripti, eorumque et commoda et incommoda assatum sunt investigata. Quos Vaugheim, White, (*Behandlung der Schwangeren und Kindbetterinnen, aus dem Engl. Leipz. 1755*. Callisen, (*System der Wundarzneik. T. I. 1251*). Böttcher, (*Abhandl. v. d. Krankh. d. Knochen, Knorpel und Sehnen. Dessau 1782*). Unger, (*Nichters Chir. Biblioth. B. 6. S. 520*). Knoll commendabant lectos, recensuit cel. F. J. Hofer, (*Lehrsaße des Chir. Verbandes. Erl. 1798. Tom. III. p. 71 seq.*), examinavit F. Thaden idem (*Diss. inaugural. novae sellae aegrotantium una cum capsula pro pede fracto pendula descriptio. Erl. 1798.*) — Lectus mechanicus inter Britannos inventus, in commentariis (*Journal f. Fabr., Manuf., Handl. und Med. Aug. 1795*) descriptus, cum lecto a Danjon commendato maximam convenit partem, nisi quod multo sit complicatior. — Lectus pensilis a cel. Faustus commendatus, nil nisi imitationem Asclepiadis praese fert, ut qui jactatis pensilibus lectulis, aut morbos extenuaturi aut allecturi somnos (*med. Chir. Zeitg. 1803. p. 393*).

§. 30.

Jam supra significavimus, lectum remedii non raro implete vicem, quod quo melius clariusque pateat, ejus efficaciam nunc paulo uberius, age, demonstremus.

Duplici modo lecti vim suam in organismum humanum exserere nobis videntur: a) augent nimium vel minuunt caloris modum, quolibet tempore organismo inhaerentem, et b) motus totius corporis imminuunt statu quietis adducto. Nescio, an subneam, electricitatis magnetismique animalis copiam, lecto vel augeri, vel minui posse; at cognitio nostra quatenus et electricitas et magnetismus animalis, participes sint vitae manifestationum, ad hunc usque diem, tam manca est, ut nil nisi conjecturae hac in re possint proponi.

§. 31.

Calor animalis producit processibus animalis-chemicis, idemque calor horum processuum est conditio necessaria, cum his enim processibus vegetatio, restitutio mixtionis qualitatisque normalis, siquidem illae ante turbatae fuerint, conservatio corporis. necessaria ejusdem irritabilitatis vicissitudo, ut verbo

rem absolvam, ea corporis conditio, quâ illius integritas nititur, arctissimis vinculis conjuncta est. Quatenus in calorem animale agere, eumque pro certis finibus mutare possumus. eatenus remedium habemus, quo innumeris mutationibus salutaribus in corpore humano aegrotis, producendis, idonei sumus, atque tale lectorum usu nobis praebetur remedium. Cum autem recta sanandi via nequaquam cognitu facilis sit, neque de regulis generalibus nunc agatur, quae omnibus conveniant et ab omnibus agnoscantur, sed potius praecipendum sit, quid singulis pro morbi indole, caractere, stadio, ut verbo dicam, quid cuique casui conveniat, haec profecto non minimi momenti res est, quippe quae subtilem cognitionem status aegroti, vis medicatrix naturae, omniumque mutationum, quae in organismo humano fieri possunt, postulet et vicissitudines variae ex ipsis morbi stadiis prodeuntes, sive morbus crescat, sive decrecat, accuratorem praescriptionem, de lectis, quod ad eorum calorem, pro variis morborum generibus aut augendum, aut minuendum, adinet, difficillimam reddant. Timide igitur sequentia nos adgressos ingenue fatemur, atque si forte graviora omisisse, leviora attulisse videamur, Te B. L. aequum opusculi

nostri fore aestimatorum, veniamque nobis daturum speramus.

§. 32.

Cubile calidius parandum erit:

1) ubi per scutem evacuationes criticae expectandae sunt, ut in variolis, morbillis, scarlatinâ; calor enim cutis adauctus, ejus efficaciam, exanthematisque perfectionem eruptionem et decursum accelerat. In partibus, quae pellibus involvuntur, facile exanthemata oriuntur, miliaria rarius in partibus nudatis erumpunt, sed semper fere in his, quae calide tectae sunt, et in illo faciei latere, quo infans ad curatricem se acclinat, major variolarum copia erumpere solet 52). Nihilominus tantum abest, ut lecto, justo calidiori in his morbis utendum esse suadeamus, ut potius temper ad febrem, exanthemati praegressam et illud comitantem respiciendum esse moneamus, quod jam saepe numero a viris doctissimis, Frankio 53), Hildebran-

52) Joh. Christ. Reil, über die Erkenntnis und Cur der Fieber Halle 1799. 1. Bd. p. 438.

53). J. P. Frank, Epitome de curandis hominum morbis. Mannh. 1792. Lib. III. §. 338.

dio 54), Huxhamio 55), Henkio 56), aliis confirmatum est.

2) In febribus rheumaticis, catarrhalibus, arthriticis et maxime in eo stadio, in quo crisis expectatur, cum eadem sudore absolvitur; in aliis vero hujusmodi morborum stadiis, praesertim febris catarrhalis, calidiori uti lecto nequaquam licet, quippe qui, ut Peritissimus Styx, vir perillustis, praeceptor noster Venerandus, docet, vim morbi augeat 57). Praeterea in aliorum febrium solutione, ut pneumonicae, ubi calore ejectio sputi adjuvatur, frigore impeditur.

3) In curatione morborum, quibus magna humorum aquosorum copia adest, ut in statu hydropico, quoniam hic perspiratio cutanea potius promovenda, quam suppressenda est.

54) Hildebrand's Bemerkungen und Beobachtungen über die Pocken. Braunsch. 1788.

55) Huxham, Opera physico-medica. Lips. 1764. P. 122.

56) Henke, Handbuch zur Erkenntnis und Heilung der Kinderkrankheiten. Frankf. a. M. 1818. I. Bd. p. 321.

57) Martin Ernst Styx, Handbuch der populären Arzneiwissenschaft. Riga 1803. S. 103.

4) In erysipelate frigus nocere, constat.

5) In exanthematibus chronicis curandis, praesertim si humorum impetum ad cutem desideres.

6) In plerisque morbis spasticis magis caleat cubile 58).

Lectus frigidiusculus adhibendus erit:

1) In initio omnium sthenicorum et inflammatorum morborum; at methodo antiphlogistica et praecipue venaesectionibus adhibitis, plerumque sudor salutaris erumpit, ut jam cel. Baglivius his verbis significasse videtur: „Ubi sudor necessarius est, et irritis quibusvis remediis adhibitis non erumpit, mitte sanguinem et statim erumpet.“ 59)

2) In febribus ad decompositionem tendentibus, qualis est febris putrida; in hac calor eo magis nocet, quanto solutionem et decompositionem accelerat.

3) In iis morbis, a quibus sudores noxii prohi-

58) Wilh. Andr. Haase, über die Erkenntnis und Cur der chronischen Krankheiten. Leipz 1820. 1. Bd. p. 534.

59) Georgii Baglivi, de Praxi medicâ ad priscam observandi rationem revocandâ. Libri duo. Lugd. 1699. p. 246.

bendi sunt, ut in hydrosi et phthisi, ubi pulvinaria alutacea, aëre impleta, lintei sacci farinarii et lintea amylo corroborata et rigida reddita, commendata sunt (60).

4) In febribus intermittibus, si spes non fuerit, methodo diaphoreticâ abigendi morbum, supervacaneum, quin periculosum, est, ciere diaphoresin (61); et secundum cel. Sydenham febris intermittens, lecti nimio calore, in continuam degenerare potest.

5) In haemorrhagiis, maxime uteri; in his, pariter atque in mictu cruento et fluore albo, medici Gallici lectum laminis plumbeis obducere solent (62).

6) In hyperaphiâ ad cubile frigidius sensim sensimque assuefaciendus est aegrotus (63).

7) Omnino in blennorrhoeis convenire solet ejusmodi cubile (64).

8) Quicumque laborant pollutionibus nocturnis,

60) Hufeland's Journal. Bd. 23. p. 137.

61) Wencesl. Trnka de Krzowitz, Historia februm intermittentium. Vindebon. 1775. p. 483.

62) Hufeland's Journal. l. l.

63) Haase l. l. Bd II. p. 303.

64) Haase l. l. Bd. III. p. 19.

nimia salacitate, nymphomania, satyriasi, vel quolibet alio malo ex auctâ genitalium sensibilitate, orto, frigidior duriorque his paretur lectus.

§. 33.

Reliquum est, ut de altero genere, quo lecti efficaciam suam exerant, pauca subaddamus; quo facto dissertationi nostrae quantulaecunque finem imponere juvabit.

Quies, quâ aegrotus in lecto decumbens fruitur, sane quam maximi ad recuperandam valetudinem est momenti. Quid, quaeso, viribus destituto quiete exoptabilius? quid perfectiorem corporis quietem, quam lectus, ipsi praebet? Quantâ suavitate et laetitâ perfruitur, qui per longum tempus lecto affixus, variis malis et incommodis perfunctus, tandem primum cubile relinquere potest; aegrotus vero eâdem fere ad lectum tendit cupidine, in quo morbi impetus facilius sustineat et infirmitatem suam minus sentiat. At vero non solum ad recuperandam valetudinem conferunt lecti, sed etiam ad eandem conservandam idonei sunt. Foeminis gravidis, ob majorem pelvis latitudinem ad abortum pronis, duas tresve hebdomadas ante instans pariendi tempus,

lecto decubuisse magnopere prodest 65), quo quidem modo efficitur, ut fetus ad justam perveniat maturitatem.

§. 34.

Quid? quod multi sunt morbi, quibus nonnisi accuratissimâ quiete, tanquam efficacissimo remedio, mederi possis, quo chirurgia si esset destituta, multo rarius mala oblata sanare posset. Enim vero maxima quies observanda est post quamlibet chirurgicam majoris momenti operationem, ne sanguinis fluxus secundarius oriatur, neque coalitus partium laesurarum vel primâ intensione, vel suppurationis viâ impediatur, fibris tenellis se formantibus, semper denuo disruptis. Iis, qui haemorrhagiam perpassi sunt, non tantum, ut supra monuimus, lecto frigidiusculo, sed etiam quiete opus est, quo sanguinis circuitus mitigetur ejusque ad partem aegrotam impetus minuatur.

§. 35.

In fracturis ossium extremitatum inferiorum,

65) Siebold, Lehrbuch der practischen Entbindungskunde. Nürnberg. 1810. Bd. II. §. 257.

sanatio, nisi in lecto decumbat aeger, perfici nequit; quid enim ossium dislocationem sustulisse, quid fascias, quibus os fractum situ apto contineatur, idoneas applicasse juvaret, si continuis extremitatis motibus, denuo dislocatio oriretur? 66) In fracturis ossium extremitatum superiorum, non in lecto retinendum esse aegrotum, elucet, praeterquam si claviculâ fractâ, methodum a Galeno et Oribasio propositum sequi visum fuerit, secundum quam homini supine collocato pulvinus, vel cervical inter scapulas, ad ipsam spinam admovendum est, ita, ut pectus totum circa illud incurvetur, et pondere brachii ipsius, situs claviculae fractae opportunus exhibetur 67).

66) In fracturis extremitatum inferiorum sanandis, conveniens et apta lecti instructio tanti momenti est, ut medici sit, hujus rei curam habere; — plumeis culcitis duabus de causis uti non licet, primum quod nimis calefaciant, et, propter situm corporis semper aequabilem, facile decubitus inferre possunt, deinde quod cubile parum aequum praebent. Lectus non latior sit tribus pedibus, quoniam major latitudo medico ejusque ministris, impedimento foret, atque, ne fasciarum ad pedes applicatio impediatur, margine inferiori carere debet.

67) Galen. Comment. in Hippocratis Lib. de articulis. T. XII. p. 328.

§. 36.

Ubi luxatura extremitatum inferiorum est sananda, non sufficit, partem luxatam in locum reposuisse, et alia remedia idonea applicasse, sed aliquamdiu in lecto aegrotus retinendus est, ut ligamenta rupta coalescant et, quae hac laesione, partiumque mollium circumdantium produci solet inflammatio, cedat.

§. 37.

Neque minus in morbis articulorum extremitatum inferiorum, ut coxalgia, tumore albo genu, lecto severe utique affigas aegrum; hujusmodi enim aegrotis nihil fere quiete accomodatius, nihil magis praesentaneum, unde verissime judicant, qui nullum medicum hoc negligentem in his quidem tractandis morbis, feliciter rem gesturum censent. Semper occultâ inflammatione hi nituntur morbi 68); quae in coxalgia in acetabulo, ligamentis et capite ossis femoris sedem habet, in tumore albo genu vero occu-

68) J. A. Albers Abhandlung über die Coxalgie oder das sogenannte freiwillige Hinken der Kinder. Wien 1807. S. 12. — C. Fokkelmann, Diss. de morbo coxarum. Dorpati 1818. p. 15. — Müller, Diss. de fungo articulari. Götting. 1780, p. 21.

pat articulum genu. Eundo et extremitatibus movendis, partes hae afflictae invicem premuntur et teruntur, quo fit, ut nullo modo inflammatio cesset, sed semper denuo excitata, tandem in suppurationem transeat, quae ne efficacissimis quidem remediis, ut vesicatoriis et ferro candente, prohiberi potest; et nuperrime accidit, ut puer novem annos natus, altero stadio coxalgiae, ferro candente tangeretur. Qui donec lecto affixus detinebatur, omnia optime succedebant, dolor plane evanescebat et ad pristinam fere longitudinem femur reductum erat. Deinde vero a matre nimis sollicitâ nunc lectis mollibus immissus, nunc a surgendo et ambulando non prohibitus, rursus dolores sentiebat, et aliquot diebus interjectis, morbus in tertium transit stadium.

§. 38.

Facilius pedum sanantur ulcera, cum aegroti cubant, propter humorum ad pedes affluxum hoc quidem situ imminutum, id quod evidenter probant ii, quos rituum aulicorum lex, vel munus, ut tyrothetas, diu multumque stare jubet, hi enim cum annis procedunt, tumore aliisque pedum vitiis, laborant; neque alia militum sors est, qui in nimis pro-

ductis excubiis aetatem egerunt. Jam Hippocrates:
 „Εἰ γὰρ τις, inquit, ἔλκος λαβὼν ἐν κνήμῃ, μητὲ
 λῖην ἐπίκαιρον, μητὲ λῖην ἐν ἴσθμῳ ὄν, καὶ μῆτε ἄγαν
 δυσελκῆς ἂν, καὶ μῆτε ἄγαν ἐυελκῆς, αὐτίκα ἀρξάμε-
 νος ἐκ πρώτης κατακείμενος ἡτρεῖοιτο, καὶ μηδὲ μὴ
 μητεωρίζοι τὸ σκέλος, ἀφλέγμαντός μιν ἂν οὗτος εἴη,
 καὶ ὑγιῆς πολλῶ θάσσον ὕτω γένοιτο ἢ ἐν πλανώμε-
 νος ἡτρεῖοιτο.“ 69)

§. 39.

Denique morborum genus restat, in quibus cu-
 batio, certe non minimi pretii est, nimirum in in-
 curvationibus spinæ vertebralis. Hoc malum sive e-
 vitiosa musculorum contractione, sive ex ossium ipso-
 rum morbo fluxerit, semper, ut nobis videtur, in
 lecto jacuisse proderit. Certo si aegrotus, situ, in
 lecto decumbere cogitur, musculis, qui contracti
 erant, sensim extensis, antagonistis musculis debilita-
 tis copia datur virium integritatem et justam condi-
 tionem recuperandi, quare praesertim in colli obstipi-
 curatione, haec ratio non contemnenda videatur 70).

69) Hippocrates l. c. p. 391.

70) Jörg, über die Verkrümmungen des menschlichen Körpers. Leipz. 1816. p. 102.

Quodsi affectiones ossium vertebrarum, incurvationem
 produxere, situ horizontali quieto et pressio in
 spinam vertebralem ossaque affecta remittit, et morbi
 progressus maturius impeditur, et alia remedia adhi-
 bendi offertur opportunitas. In scoliosi, lordosi et
 cyphosi pariter conducit decubitus 71), dummodo
 scilicet ejusmodi morbus sit, ut locus omnino detur
 sanationi, et alia idonea remedia non neglegantur.
 Postremo evidentius sententiam nostram tuituris, hoc
 fere submonere nobis liceat, hominum per totum
 diem statu erecto constitutorum, vesperi minorem esse
 quam quae mane fuerat, proceritatem 72), et — spi-
 nae vertebralis incurvationes, semper vesperi, quam
 mane, esse majores 73).

71) Jörg. l. l. p. 113. 118. 126.

72) Friedr. Hildebrandt, Lehrbuch der Anatomie
 des Menschen. Braunschw. 1807. 1. Bd. S. 290.
 S. 428.

73) Jörg. l. l. p. 121.